Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

v



solatorem et ditatorem fidelium tuorum auctoritate plenaria
personaliter in se esse persuadere conatus est. ita quecumque de celo ac
stellis et de solis ac lune motibus falsa dixisse dephenderetur.
quamuis ad doctrinam religionis ista non pertineant. tamen ausus
eius sacrilegos fuisse satis emineret. cum ea non solum igno
rata sed etiam falsa tam uesana superbie uanitate diceret ut
ea tamquam diuine persone tribuere sibi niteretur. Cum enim
audio christianum aliquem fratrem illum aut illum ista nescientem
et aliud pro alio sentientem. patienter intueor opinantem homi
nem. nec illi obesse uideo cum de te domine creator omnium non cre
dat indigna. si forte situs et habitus creature corporalis
ignoret. Obest autem si hoc ad ipsam doctrine pietatis formam
pertinere arbitretur. et pertinacius affirmare audeat quod ignorat.
Sed etiam talis infirmitas in fidei cunabulis a caritate ma
tre sustinetur. donec assurgat nouus homo in uirum per
fectum. et circumferri non possit omni uento doctrine.
In illo autem qui doctor qui auctor qui dux et princeps eorum quibus
illa suaderet ita fieri ausus est. ut qui eum sequerentur non
quemlibet hominem sed spiritum tuum sanctum se sequi arbitrarentur.
Quis tantam dementiam sicubi falsa dixisse conuinceretur
non detestandam longeque abiciendam esse iudicaret. Sed tamen
nondum liquido conpereram. utrum etiam secundum eius uerba uicissi
tudines longiorum et breuiorum dierum atque noctium et ipsius
noctis et diei. et deliquia luminum et si quid eiusmodi in aliis
libris legeram posset exponi. ut si forte posset incertum
quidem mihi fieret utrum ita se res haberet an ita. sed ad fi
dem meam illius auctoritatem propter creditam sanctitatem preponerem.
Et per annos ferme ipsos nouem quibus eos animo uagabun
dus audiui. nimis extento desiderio uenturum expec